

Vervalste stichtingsakte van de Sint-Remigiusabdij in Reims (968)

Overgenomen uit H.P.H. Camps, Oorkondenboek van Noord-Brabant tot 1312, p. 35-36, nr. 23.

In nomine sancte et individue Trinitatis.

Gerberga divina dispensante dementia humilis Francorum regina.

Cum omnis sancta ecclesia ab exordio Christiane religionis rite dispositis quibus-
cumque ecclesiasticis utilitatibus donis sit maxime ditata regalibus, dignum profecto
ducimus, si morem antiquorum sequentes, ex rebus nostris eandem honorantes
sublimamus, sperantes a Domino bonis eternalibus remunerari; cuius pietatis consilio
actus nostros obtamus in salutem dirigi.

Quocirca fidelium presentium universitati simul et secutorum notum sit posteritati
quoniam, locum sancti Remigii magnifici doctoris Francorum et apostoli admodum
gaudentes rerum increments readier prosperari ac multiplici bonorum copia fortunatum
haberi, sollemniter delegantes per manus fidelis advocati nostri comitis Arnulfi
légitima vestitura, cum consilio, pietate quoque ac benigno assensu domni Ottonis
imperatoris augusti tradimus sancto Remigio quoddam iuris nostri predium in alodo
in honore sancti Petri consecratum vocabulo Marsnam, in comitatu Masaugo, cum
omnibus ad ipsum predium pertinentibus, id est Clumam et Litam cum appenditiis
suis, Hertram et Angledurani cum appenditiis suis superadditis etiam rebus aliis
quecumque ex ipso fisco in ius dominicum iam olim devenerant, astantibus etiam,
immo collaudantibus atque conrrmantibus Gerardo Tullensi episcopo atque comitibus
Emmone et Ansfrido, nonnullis quoque aliis nobilibus viris, fidentes utique tanti
patris et patroni nostri plurimum mentis adiuvari, totumque hoc agentes pro salute
videlicet nostra et remedio senioris nostri pie memorie Gisleberti suique parentum,
patris scilicet et matris Rageneri et Albrade; ea scilicet ratione ut idem locus sancti
Remigii, qui semper ab antiquo regiis donationibus utpote capud Francie fuerat
honoratus, nostris etiam donis regalibus ditescat et polleat uberioris ipsumque alodum
ut sui proprium legitimo iure firmiter tenendo in perpetuum possideat, quatinus
memoriam nostri ac prefati viri senioris nostri Gisleberti apud se iugiter fixam idem
locus habeat suisque orationibus perpetuis et sacrificiorum muniberis et votis in
conspectu Dei eiusdem memoriam piissime recolat. Ipsum autem alodum sub omni
rerum integritate legitima exterminatione constat habens mansos LXXXII^{os} cum
terrulis videlicet cultis et incultis, silvis, pratis, vineis et pascuis, cambis, molendinis,
aquis aquarumve decursibus, exitibus et regressibus.

Ceterum si quis forte olim temptaverit hanc traditionem regiam inquietare eique
nefas aliquod ex adverso irrogare, penas temeritati sue obnoxias ut reus maiestatis
exsolvat, immo etiam Deo et sancto Remigio cum omni emendatione iuxta legis
decretum satisfaciat et sic hec regalis donatio nostra inviolabilis semper permaneat et
inconcussa.

Actum IIII id. februarii, anno incarnationis dominice DCCCCLXVII^{os}, in prefato
comitatu in villa que dicitur Hacta.

Anno XXXII regnante domno Ottone inclito imperatore ac cesare augusto, filio
quoque eius equivoco regnante anno VII.

SS. domne Gerberge gloriose regine, que regie auctoritatis manu hoc scriptum, quod
fieri iussit, dignanter corroboravit et aliis confirmare mandavit.

S. iuvenis magne indolis Caroli.

S. Arnulfi comitis, qui vice domne regine hanc traditionem fecit.

S. Emmonis comitis, S. Ansfridi comitis, S. Huberti, S. item Huberti, S. Gotramni,
S. Franconis, S. Gerardi, S. Euruini, S. Adelstamni. S. Huniconis, S. Godeleui,
S. Ysaac, S. Theoderici, S. Onulphi, S. Wlberti, S. Rotlandi, S. Rageneri.

Data pridie id. februarii manu domne regine et suscepta a domno abbate Hugone,
qui ibi affuit cum suo advocate Emmone predicto comite.